

# ASSERTIO PRIOR: Venationes esse illicitas & admodum nocuas.



*S*iquis est animus generosâ indole præditus, usq; eò ab omni otio sejunctus est, ut si eidem vel paucillum temporis indulgendum sit, vitam sibi acerbam existimet. Hinc videas Magnatum non paucos rebus præclarè gestis ad nominis celebritatem se commendare; dum alij otio & desideria procul, elegantioris literaturæ cupidi, vitam honestis studiis consecrant: alij peculiare ingenij impetus, sequuntur; Sunt, qui militari disciplinæ animum applicant: Sunt, qui ingeniosissima artificum inventa feliciter imitentur & excolant; nec desunt, qui sub ipsam Brumam Venatoriis ducantur exercitiis. Neq; eos cæli inclementia revocat, neq; nivium profunditas removatur, ut nescias an frigidioris celo incitati vehementiore impetu ad feras persequendas rapiantur. Nunquid verò operam perdemus, si rem paulò altiùs repetentes, quo numero istud *κυνηγεσία* studium habendum sit, dispiciamus?

Inredientibus autem in rem ipsam primo statim limine occurrunt non pauca, quæ ad hujus exercitij cursum intervertendū haud parùm momenti habere videntur. Neq; enim tam corpus, quàm ipse Venatorum animus adeò in tuto est positus, ut insignem, inde nasci solitam, contagionem effugiat. Ac quo potior